

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6410

Auteur(s) : Olivier Paegnel, chevalier, Agon (seigneur)

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1299, septembre

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Olivier Paegnel, seigneur d'Agon, cède tous ses droits sur le patronage de l'église du dit lieu au chapitre de Saint-Lô.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° LXIII a, p. 395-396.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis et audituris ego Oliverus dictus Paegnel miles salutem in Domino. Notum facio quod cum contentio controversia seu causa mota esset inter me ex una parte et religiosos viros priorem Sancti Laudi Rothomagensis et canonicum ecclesie Constanciensis ordinis sancti Augustini et conventum eiusdem loci Sancti Laudi Rothomagensis ex parte altera super jure patronatus ecclesie Sancti Ebrulphi d'Agon Constanciensis diocesis et iure presentandi ad eandem ecclesiam quod enim ego dictus miles dicebam ad me pertinere spectare et pertinere et spectare perpetuo debere dictis religiosis contrarium dicentibus et asserentibus videlicet dictum jus patronatus dicte ecclesie et presentandi ad eandem perpetuo spectare pertinere spectare et pertinere debere ad eosdem. Tandem deliberatione hinc inde prehabita super hec diligenti super premissis omnibus inter me pro me et heredibus meis ex una parte et dictis religiosis pro ipsis et successoribus eorum ex parte altera concordatum et amicabiliter pacificatum et tractatum extitit ac etiam ordinatum in hunc modum videlicet quod ob causam infra scriptam et expressam pro me et meis heredibus caritatis et pietatis intuitu predictis religiosis et eorum successoribus ex nunc in perpetuum omnino spontanæ penitus et expresse quito concedo et dimitto omne ius et omnem actionem quod et quam habebam et reclamabam et michi competebant habere et reclamare poteram et michi competere poterant atque possent quocumque jure Domini quacumque ratione et causa in iure patronatus predicti et presentandi ad ecclesiam ante dictam. Videlicet pro uno annuali pro salute anime mee Alicieque uxoris mee ac animarum patris et matris antecessorum heredum et successorum ac amicorum nostrorum quolibet anno semel annuatim in perpetuum annuatim in monasterio dictorum religiosorum ab eis et eorum successoribus celebrando solempniter cantando ac etiam recolendo die martis in septimana qua cantantur jubilate. Quod enim annuale sub modo et forma predictis ratione quitationis et dimissionis predictarum dicti religiosi promiserunt michi fideliter pro se et successoribus suis eosdem religiosos eorum successores celebraturos pro salute anime mee et animarum aliarum omnium predictarum ex nunc anno quolibet semel in perpetuum annuatim in eorum monasterio memorata se et suos successores ac suum monasterium predictum ad hec specialiter obligando. Super quibus omnibus predicti religiosi pro se et eorum successoribus michi pro me et meis heredibus dederunt et concesserunt litteras sigillis

eorumdem concorditer sigillatas. Et ut hec omnia rata firma valida et stabilia permaneant in perpetuum ego dictus miles dictis religiosis presentes litteras pro me et meis heredibus dedi et concessi sigillo meo proprio sigillatas. Actum mense septembris anno Domini m°. cc°. nonagesimo nono.